

rium fuerat mortis tempore. Quæro, an ea linea heredi restitui deberet propter legem Falcidiam? Respondit, posse⁵⁷ heredem consequi, ut ei restitueretur; ac, si malit, posse vindicare partem in ea, linea quæ propter legem Falcidiam rationem deberet remanere. — § 1. Quæsitum est, an pretium statuarum⁵⁸ Falcidiam pati debeat? Respondit, debere.

27. *Idem*, [lib. 6 Responsorum].

Seius et Agerius si intra diem trigesimum mortis mee reipublice nostre caverint contentos se futuros tot aureis legis Falcidie beneficio omisso, heredes mihi sunt: quos invicem substituo: quod si voluntati mee non consenserint, exheredes sunt. Quæsitum est, an heredes instituti hereditatem adire possint, si conditioni parere nolunt, cum habeant substitutos eadem conditione præscripta? Respondit, Seium et Agerium primo loco institutos perinde adire posse, ac si ea conditio, quæ fraudis causa adscripta est, adscripta non esset.

28. *Mæcianus*, lib. 1 Fideicommissorum.

Pater quoque in legatis, quæ filius ei dedit, alio herede instituto, legis Falcidie rationem patitur.

29. *Paulus*, [lib. 2 Fideicommissorum].

Si a me tibi fideicommissum [vel legatum] est, tuque id post tempus rogatus sis mihi restituere, non puto hoc imputandum esse in Falcidiam: quia incipio postea quasi fideicommissarius id recipere.

30. *Mæcianus*, [lib. 8 Fideicommissorum].

In ratione legis Falcidie mortis⁵⁹ servorum, ceterorumque animalium, furta, rapinæ, incendia, ruinae, naufragia, vis hostium, prædonum, latronum, debitorum facta pejora nomina, in summa quocumque damnum, si modo culpa legatarii careant, heredi pereunt: quemadmodum ad heredis lucrum pertinent fructus⁶⁰, partus ancillarum, et quæ per servos acquisita sunt (ut stipulationes, rerum traditiones, legata, hereditatesve his datæ, ceteræ donationes), item servitutes, quibus liberata prædia pretiosiora fierent; actionesque acquisitæ, ut furti, damni injuriæ, similesque quorum nihil in rationem legis Falcidie cadit. — § 1. Vendere⁶¹ autem vel emere jussus certo pretio fundum, aliamve quamquam rem, in legis Falcidie ratione, cum quantum sit legatum, requiritur, tantum eo nomine inducitur, quanto plus minorisve sit res ea quantitate, quam pro pretio testator accipi dærit jussit; sed ut ei quidem portioni, quæ legatis deductis faciendæ erit, amplius deducatur; quippe non nostri causa capi id pretium: sed eo deducto pretium reliquum legatum esse intellectum est. — § 2. Rursus diligenter animadvertendum est, ne quod dicitur, *damna post mortem testatoris illata ad solum heredem respicere*, usquequaque, et sine ulla distinctione recipiatur: quod enim, remota lege Falcidia, in totum juris foret, hoc idem fore in ea parte, quæ lege Falcidia constitueretur: hoc enim attinet, damna postea facta non deduci, ne amota portio legatis fidei commissis detrahatur. — § 3. Verum est autem, his solis, quæ pondere, numero, mensura constant, nec damno postea incidente, ex portione, quæ fieri ad æstimationem eorum bonorum, quæ mortis tempore fuerunt, quicquam detrahi. — § 4. Certis vero corporibus, et his ipsis ita relictis, *pecuniam, quam⁶² in illa arca: vinum quod in illis dolis: pondus argenti, quod in illis horreis habeo*: si sine culpa heredis deperierunt, vel deteriora sunt facta, proculdubio aut⁶³ nihil debetur, aut eorum, quæ exstant, qualia erunt, ea portio debetur, quæ per legem Falcidiam efficiatur ex æstimatione bonorum, quæ mortis testatoris tempore fuerunt. — § 5. Incertæ autem res relictæ distinctionem recipiunt: nam si ex suis rebus incertam rem testator reliquisset, veluti, *argentum, quod elegerit*, et omne argentum testatoris interisset sine culpa heredis: nihil deberetur. Sin vero argenti pondus pure relictum esset: quamvis omne argentum testatoris deperisset, admissa lege Falcidia, portio ejus quantitatis sumetur, quæ fuit in bonis eo tempore, quo testator decessit: nec ad imminuendam eam quicquam damna postea incidentia proficiunt. — § 6. Res tamen, quæ interierint, pro nulla parte, ac ne æstimationem quidem debeat: non magis, quam si omnes res per speciem enumeratæ relictæ essent. — § 7. Tametsi autem legis Falcidie ratione, quæ⁶⁴ conditionis implendæ causa heredi sunt data, in quartam non computantur: tamen id, quod non figura conditionis accipere jussus est ab eo, cui hereditatem restituere rogatus est, Celso et Juliano nostro placuit computari⁶⁵, quemadmodum si ea summa heres vendere eas res jussus esset; quia non conditionis implendæ causa, sed quodammodo pro pretio inferre sunt jussi. Quo loco amplius quæsitum est, an fideicommissarius quoque

57. L. 21, infr. ad SC. Trebell. — 58. L. 80, in fin. infr. h. t.; junct. L. 11, § 24, supr. de legat. 3. — 59. L. 73, in pr. infr. h. t. — 60. d. L. 73, in pr. — 61. L. 19, supr. eod. — 62. L. 57, infr. de verb. oblig. — 63. L. 26, § 1, supr. de legat. 1. — 64. L. 40, in fin.; L. 44, l. 91, in fin. infr. h. t. — 65. § 4, supr. h. l. — 66. L. 116, § 1, supr. de legat. 1. — 67. L. 1,

invitus cogatur dare eam summam, et recipere hereditatem, quasi et ipsius fideicommissum esset? Sed id verisimile non est, cum talis oratio magis ipsius causa, quam contra ipsum posita videatur. — § 8. Cum lex Falcidia intervenit, non veniunt in contributionem, quæ ipsi heredi a semetipso⁶⁶ vel servo ejus legata fidei commissæ sunt. Alia causa est eorum, quæ in diem certam dantur: nam, si libertatis dies cœpit dedere, ei debentur, et in contributionem veniunt. Ac ne ea quidem, quæ quis servis suis inutiliter sine libertate legavit, fidei commissis, in computationem ejus legis cedunt. — § 9. Res, quæ neque per fideicommissum relinqui posse certum est, in legis Falcidie computationem non veniunt.

31. *Pomponius*, [lib. 2 Fideicommissorum].

Is, cui fideicommissum solvitur, sicut is, cui legatum est, satisfacere debet⁶⁷ quod amplius cepit, quam per legem Falcidiam ei licuerit, reddi: veluti cum propter conditionem aliorum fideicommissorum, vel legatorum, legis Falcidie causa pendeat. Sed et secundum Cassii, e veterum opinionem, si a pupillo fideicommissa capiuntur, propter ea quæ a substituto erunt relictæ, cavere debet is cui solvitur. Nam quamvis repetitio sit eorum, quæ fideicommissi nomine non debita solventur, tamen satisfactio⁶⁸ cautum debet esse ei, a quo pecunia proficisceretur, ne damnum sentiat deficiente eo cui solutum erit.

32. *Mæcianus*, [lib. 9 Fideicommissorum].

Pœnales actiones, sive legitimæ, sive honorariæ, exceptis popularibus, in bonis actoris non ideo minus computandæ sunt, quia morte reorum interciderent possunt. E contrario autem eadem actiones nihil bonis rei, defuncto eo detrahunt. Sed ne in actoris quidem bonis, defuncto eo, injuriarum⁶⁹ actio poterit computari: quia et ipsa simul cum eo interciderit, ut ususfructus, et id, quod in dies, menses, annosve singulos alicui, *quoad vivat*, debeat. Et enim ea demum obligatio rei bonis diminutionem præstat, quæ in heredem transit. Nec contrarium est, quod, vivente reo, eo minus in bonis ejus intelligebatur: nam etsi ita stipulatus esset, ut cum moreretur, debere ei inciperet, tamen augeretur bona ejus, quemadmodum si ipse sub eadem conditione promississet, defuncto eo minueretur. — § 1. *Honorariæ quoque actiones*, quæ intra certum tempus a prætore promittuntur, cum bonis actoris, defuncto eo, augmentum rei, decessionemve, si tales erunt, ut in heredem quoque transeant, præstabit. — § 2. Julianus scribit, si utriusque heredis pars exhausta est legatis, et alter ex heredibus cautionem prætoriam accepit a legatariis, non æqualiter, sed pro suo modo legis Falcidie rationem et actionem ex stipulata habiturum; omnes enim prætorias stipulationes ejusdem interpretationis esse: nam constare, ex judicatum solvi stipulatione, sive a parte actoris sive [a] rei plures heredes exstitissent, non omnibus nec adversus omnes actionem contingere, sed duntaxat his, qui vicissent, et adversus victos; hisque adversus quos res defensa non esset, adversus eos, qui rem non defendissent. — § 3. *Annua, bima, trima die aureis centenis legatis*, ex omnibus summis, non tantum ex posterioribus portionem legis Falcidie detrahi placuit. — § 4. Si Titio viginti legatis portio per legem Falcidiam detracta esset, cum ipse quoque quinque Seio rogatus esset restituere: Vindius noster tantum Seio pro portione ex quinque detrahendum⁷⁰ ait, quantum Titio ex viginti detractum esset: quæ sententiæ et æquitatem et rationem magis habet: quia exemplo heredis legatarius ad fideicommissa præstanda obligabitur: nec, quia ex sua persona legatarius inducere legem Falcidiam non possit, idcirco, quod passus esset, non imputaturum; nisi forte testator ita fidei ejus commississet, ut totum, quidquid ex testamento cepisset, restitueret. — § 5. Si autem manumittere servum vel suum vel alienum rogatus sit: omnimodo præstare debet libertatem; nec hoc contrarium est superiori: quia favor libertatis sæpe et alias benigniores sententias exprimit.

33. *Paulus*, [lib. 3 Fideicommissorum].

Si servus tibi legatus sit, eumque rogatus⁷¹ sis manumittere, nec præterea capias unde quartam, quæ per Falcidiam retinetur, recipere possis: senatus censuit, cessare Falcidiam⁷².

34. *Marcellus*, [lib. 63 Digestorum Juliani notat].

In testatoris servo non erit Falcidie locus. Si vero pecuniam⁷³ aliudve quid legaverit, fideique legatarii commiserit, ut alienum servum vel legatarii manumitteret, locus erit.

35. *Ulpianus*, [lib. 6 Disputationum].

Plane si quid sit præter ea⁷⁴ legatum ipsi servo, Falcidie locum fore

in pr. infr. si cui plus, quam per leg. Falcid. — 68. d. L. 1, § 9. — 69. L. 15, in pr. infr. de injur. — 70. *Immo vide* L. 25, in fin. supr. h. t.; L. 97, supr. de legat. 1. — 71. L. 36, § 2, infr. h. t. — 72. L. 34, infr. eod.; L. 8, § 9, supr. de inoffic. testam. — 73. L. 36, in pr. infr. h. t. — 74. d. L. 36, § 3.

senatus declaravit. Unde Scævola ait in eo, quod præterea servo legatum est, ita Falcidiam admittendam, ut inde, et quod pro servo præstandum est, sumatur.

36. *Paulus*, [lib. 3 Fideicommissorum].

Sed si non servus ipse legatus sit, sed pecunia⁷⁵, rogatusque sit legatarius *servum suum manumittere*, Falcidiam patietur, et nihilominus cogetur manumittere: quia tanti æstimasse videbitur servum suum. — § 1. Quid, si alienus servus fuerit? in eo non plus, quam accepit, ad redimendum cogitur impendere. — § 2. Sin vero heres servum rogatus sit manumittere, placet, pretium⁷⁶ ejus, ut æs alienum, deducendum esse. — § 3. Si solus servus legatus, et⁷⁷ fideicommissa libertate donatus fuerit: licet Falcidia interveniente, totus vindicari petive potest; sed etsi aliud⁷⁸ præterea capiat legatarius, adhuc servus totus peti potest; quartam autem utriusque ex legato retinendam, ne impediatur libertas. — § 4. Si incertum sit, an libertas præstari debeat, veluti quod sub conditione, vel post tempus data sit, nunquid incerto eo, an præstetur, cum possit aut servus mori, aut conditio deficere, interim Falcidia admittenda est? deinde cum libertas competere vel deberi cœperit, tum legatarius illam partem recipiat, quam Falcidia detraxit? Cæcilio placebat, si quid ex operis ejus medio⁷⁹ tempore consecutus fuerit heres: id in pretium ejus erogare eum debere, propter legis Falcidie rationem.

37. *Valens*, lib. 6 de Fideicommissis.

Ejus servi æstimatio, perinde ac statuliberi fieri debet. — § 1. Sed et si heres servum alienum rogatus est manumittere, placuit, ut etiam hujus pretium ex æstimatione hereditatis deduci debeat.

38. *Hermogenianus*, lib. 4 juris Epitomarum.

Statuliber heredis non auget familiam. — § 1. Communes servi in utriusque patrimonio connumerantur. — § 2. Cujus ususfructus alienus est, in dominio proprietatis connumeratur: pignori dati, an debitoris⁸⁰: sub lege commissoria distracti, item ad diem addicti, in vindictoris.

39. *Paulus*, lib. 3 Sententiarum.

Æris alieni loco deducuntur non solum pretia eorum, quibus libertas data est, et eorum, qui supplicio sunt affecti: sed et ejus, quem prætor propter⁸¹ indicium proditæ mortis, vel detectæ eorum conjurationis, libertate donavit.

40. *Hermogenianus*, lib. 4 juris Epitomarum.

Ad veterani⁸² testamentum, sive paterfamilias, sive filiusfamilias sit, licet intra⁸³ annum missionis decessat, lex Falcidia pertinet. — § 1. Si cui, *si decem dedisset*, viginti fundus fuisset legatus: is in toto fundo legatarius habebitur.

41. *Paulus*, [lib. 9, ad Edictum].

Dolo⁸⁴ carere non videtur, si jam mota quis controversia hereditatis legata sine⁸⁵ cautionibus det.

42. *Ulpianus*, [lib. 14, ad Edictum].

In Falcidia æstimationi pretii rerum *ex⁸⁷ veritate* faciendæ est.

43. *Idem*, [lib. 19, ad Edictum].

Servi qui apud hostes sunt, post mortem testatoris reversi, quod ad Falcidiam pertinet, locupletiores faciunt hereditatem.

44. *Idem*, [lib. 21, ad Edictum].

Falcidia intervenire non potest: si statuliber de alieno dedit, non⁸⁸ de bonis defuncti; vel alias est homo liber, qui conditionem⁸⁹ implevit.

45. *Paulus*, [lib. 60, ad Edictum].

In lege Falcidia non habetur pro puro, quod⁹⁰ in diem relictum est: medii⁹¹ enim temporis commodum computatur. — § 1. In his legatis, quæ sub conditione relictæ sunt, Proculus putabat, cum quaeritur de lege Falcidia, tantum esse in legato, quanti venire possunt: quod si est, et deductio sic potest fieri, ut tantum videatur vi deberi, quanti nomen venire potest: sed hæc sententiæ non probatur: cautionibus⁹² ergo melius res temperabitur.

46. *Ulpianus*, [lib. 76, ad Edictum].

Qui, quod⁹³ se daturum, retinere poterat, voluntatem testatoris cæcus spondit per falcidiam, cogendus est⁹⁴ solvere.

75. L. 34, supr. eod. — 76. L. 59, infr. eod. — 77. L. 53, supr. eod. — 78. L. 55, supr. — L. 56, § 4, infr. eod.: L. 5, § 1, supr. de legat. 2. — 79. L. 58, § 5, infr. ad SC. Trebell. — 80. L. 9, C. de pignorat. act. — 81. L. 36, § 2, supr.: L. 6, C. h. t. — 82. L. 4, in pr. infr. de bon. libert. — 83. L. 17, supr. h. t. — 84. L. 9, § 4, supr. ad L. 5, C. de testam. milit. — 85. L. 4, § 2, in fin. infr. tit. prox. — 86. L. 9, § 4, supr. ad exhib. — 87. L. 15, in fin. supr.: L. 60, in fin.; L. 62, in fin.; L. 65, infr. h. t.; L. 81, § 4, in fin. supr. de legat. 1. — 88. *Immo vide* L. 36, § 1, in fin. infr. h. t. — 89. L. 75, in pr. infr. h. t. — 90. L. 75, § 4, infr. eod. — 91. L. 58, § 5, infr. ad SC. Trebell. — 92. L. 1, § 16, supr. h.

47. *Idem*, [lib. 79, ad Edictum].

Lex Falcidia, si interveniat, in omnibus pensionibus locum habet; sed hoc ex postfacto apparebit: ut puta in annos singulos legatum relictum est: quamdiu Falcidia nondum locum habet, integræ pensiones annuæ dabuntur: sed enim si annus venerit, quo fit, ut contra legem Falcidiam ultra dodrantem aliquid debeat, eveniet, ut retro omnia legata singulorum annorum imminuantur. — § 1. Nunquam legatarius⁹⁵ vel fideicommissarius, licet ex Trebelliano senatusconsulto restituitur ei hereditas, utitur legis Falcidie beneficio.

48. *Paulus*, [lib. 2, ad Edictum ædilium curulium].

Cum emptor venditori vel contra heres exstitit, evicto homine utrum duplum in æs alienum deducere vel computare debeat, an simplum? duplum enim esset, si alius heres exstitisset. Et benignius est, eodem herede existente, simplum ei⁹⁶ imputari.

49. *Idem*, [lib. 12, ad Plautium].

Plautius: Servo, quem tibi legaveram, fundum legavi. Atilicinus Nerva, Sabinus, primum in servo rationem legis Falcidie habendam; e quota pars ex eo deederet, eam partem in fundo legato inutilem futuram: deinde ex reliquis partibus fundi legis Falcidie portionem decursuram, sicut ex omnibus legatis; Cassius, quod servo pars lege Falcidia decessat, incipere servum fieri communem heredis et legatarii: communis⁹⁷ autem servo cum legatum sit, totum⁹⁸ pertinere ad socium: quia in eam personam legatum consistere possit: qua ratione semel ex fundo partem legis Falcidie decursuram. Paulus: Cassii sententiæ utimur: nam et divus Pius rescripsit, servo communi fideicommissum datum, totum ad socium pertinere. — § 1. Interdum evenit, ut propter rationem legis Falcidie, sequens legatum extinguatur, veluti si fundus et ad eum via legata sit per alium fundum: nam si pars fundi remanserit in hereditate, non potest procedere via legatum: quia per partem⁹⁹ servitus adquiri non potest.

50. *Celsus*, [lib. 14 Digestorum].

Non est dubium, quin ea¹⁰⁰ legata, a quibus heres summovere exceptione petiorem potest, in quartam ei imputentur, nec ceterorum legata minuant.

51. *Julianus*, [lib. 61 Digestorum].

Nec interest, utrum ab initio quasi inutile fuerit, an ex accidenti postea in eum casum pervenisset legatum, ut actio ejus denegaretur.

52. *Marcellus*, [lib. 9 Digestorum].

Ex asse patronum heredem instituit libertus, cum ducentos aureos in bonis haberet, et legavit filio centum viginti, extraneo reliqua: diminutio legati, quod extraneo præstat legatum, proficit filio ad consequenda solida, quæ ei legata sunt. — § 1. Quacumque ex causa¹ legata non præstantur, imputantur heredi in quartam partem, quæ propter legem Falcidiam remanere apud eum debet.

53. *Celsus*, [lib. 17 Digestorum].

Si propter ea, quæ² sub conditione legata sunt, pendet legis Falcidie ratio: præssenti die data, non tota vindicabuntur.

54. *Marcellus*, [lib. 15 Digestorum].

Pater filium, ex quo tres habebat nepotes, heredem instituit, fideique ejus commisit, *ne fundum alienaret, et ut in familia eum relinqueret*: filius decessens tres filios scripsit heredes. Quærendum est, an omnino quasi creditoribus unusquisque in ratione legis Falcidie aliquid possit deducere: quia in potestate sua habuit pater, cui ex his potius relinqueret? Sed hæc ratio nemo in Falcidia ratione quicquam deducet; quod videndum, ne dure constituitur; utique enim in alieno ære habuit fundum: necessitate quippe obstrictus fuisset filiis eum relinquendi.

55. *Idem*, [lib. 20 Digestorum].

Cum Titio in annos singulos dena legata sunt, et iudex legis Falcidie rationem inter heredem et alios legatarios habeat: vivo quidem Titio, tanti licet æstimare debeat, quanti venire id legatum potest, in incerto posito quamdiu victurus sit Titius: mortuo autem Titio non aliud spectari debet, quam quid heres ex ea causa debuerit.

t. L. 1, § 7, infr. tit. prox. — 95. L. 20, § 1, infr. de donat.; L. ult. C. h. t. — 94. *Immo vide* L. 15, § 4, supr. eod. — 95. L. 32, § 4, supr. eod.: L. 22, in fin. infr. ad SC. Trebell. — 96. L. 2, § 15, in fin. supr. de hered. vel act. vend. — 97. L. 63, § 9, supr. pro socio; L. 11, supr. de optione legat. — 98. *Immo vide* L. 57, § 1, infr. de acquir. rer. domini; L. 7, § 1, infr. de stipul. serv. — 99. L. 11, supr. de servit.; L. 140, in fin. infr. de verb. oblig. — 100. L. 11, in pr. supr.; L. 51, L. 52, § 1; L. 76, § 1; L. 75, in fin. infr. h. t. — 1. L. 50, supr. eod. — 2. L. 1, § 7, infr. tit. prox.

56. *Idem*, [lib. 22 Digestorum].

Cum quo de peculio agi poterat, heres creditori existit. Quæris, cuius temporis peculium computari oporteat in Falcidia lege? Plerique putant, quod tunc in peculio fuerit, cum adiretur hereditas, inspiciendum. Ego dubito: quoniam mortis⁴ tempus in ratione legis Falcidiæ ineunda placuit observari; quid enim interest, peculium servi post mortem creditoris diminutum sit, an debitor pauperior factus [sit]? — § 1. Aliquis dicet, Quid ex contrario, si ante aditam hereditatem adquisierit servus? et ego quæram, Si debitoris, qui tunc non⁵ erat solvendo, ampliatæ facultates fuerunt? et cum in isto placuerit ex post facto uberiores videri fuisse hereditatem, sicuti cum conditio⁶ crediti existit post mortem, ita etiam peculii incrementum plenior faciet hereditatem. — § 2. Scævola notat: Quid ergo, si idem servus defuncto et alii dena debuit, et una decem habuit? augetur scilicet et his hereditas, decem, quæ defuncto naturaliter debebantur, in hereditate manentibus. — § 3. Is, qui in bonis unum duntaxat servum habebat, legavit eum Titio, et fidei ejus commisit, ut post triennium manumitteret; debet ex eo, quod interim ex operis servi ad Titium pervenire potest, quarta apud heredem remanere: quemadmodum si directo post triennium servo libertatem dedisset, ejusque usufructum ei legasset; aut ei proprietatem per fideicommissum reliquit. — § 4. Stichum tibi, servo tuo⁷ decem legavit: vel contra, tibi decem, servo tuo Stichum libertatemque Stichus fidei ejus commisit. Lex Falcidia minuit legata; redimere ab herede partem debes, quemadmodum si tibi utrumque legasset. — § 5. Sæpius evenit, ne emolumentum ejus legis heres consequatur; nam si centum aureorum dominus vigintiquinque alicui dedisset, et eum instituerit heredem, et doctorem legaverit: nihil aliud sub occasione legis Falcidiæ intervenire potest; quia vivus videtur heredi futuro providere.

57. *Idem*, [lib. 26 Digestorum].

Cum dotem maritus alicui legaverit, ut uxori restitatur: non⁸ habere legem Falcidiam locum, dicendum est: et sane in plerisque ita observatur, ut omnia interpositis, capientis persona spectetur.

58. *Modestinus*, [lib. 9 Regularum].

Legis Falcidiæ beneficium heres etiam post⁹ longum tempus mortis testatoris implorare non prohibetur.

59. *Idem*, [lib. 9 Pandectarum].

Beneficium legis Falcidiæ indignus esse videtur, qui id egerit, ut fideicommissum interdicat. — § 1. Præterea qui non¹⁰ capienti rogatus est restituere hereditatem, senatusconsulto Planciano non conceditur quartam retinere: sed ea quarta, quam non retinuit, ad¹¹ fiscum pertinet ex rescripto divi Pi.

60. *Javolenus*, [lib. 14, ex Cassio].

Cum pater impuberi filiam heredem substituit, id, quod ei legatorum nomine a patre obvenit, cum hereditas ad substitutos pertinet, in computationem legis Falcidiæ non venit. — § 1. Legato petito, cum in litem juratum est¹², ratio legis Falcidiæ, non ejus summæ in quam legatarius juravit, haberi debet; sed ejus, quanti re¹³ vera [id] fuit, quod petitum est: nam id, quod pœnæ causa aderevit, in legem Falcidiam non incidit.

61. *Idem*, lib. 4 Epistolarum.

Alienus fundus tibi legatus est: hunc heres cum emere nisi infinito pretio non posset, emit multo plus, quam quanti erat: qua emptione effectum est, ut legatarii ad legem Falcidiam revocarentur. Quæro, cum si fundus tanti, quanti revera emptus esset, legata non fuerant excessura jus legis Falcidiæ: an hoc ipso heres institutus partem revocandi a legatariis jus habeat, quod ex voluntate defuncti pluris emerit fundum, quam quanti erat? Respondit, quod amplius heres, quam pretium fundi, legatario solvit, id lege Falcidiæ imputari non potest: quia negligentia ejus nocere legatariis non debet, utpote cum is confitendo, veram æstimationem præstare poterat.

62. *Ulpianus*, lib. 1, ad legem Juliam et Papiam.

In lege Falcidia hoc esse servandum Julianus ait, ut si duo rei promittendi fuerint, vel duo rei stipulandi, si quidem socii sint, in ea re dividi inter eos debere obligationem, atque si singuli partem pecuniæ stipulati essent vel promississent: quod si societas inter eos nulla fuisset, in pendenti esse, in utrius bonis computari oporteat id quod debetur, vel ex cuius bonis detrahi. — § 1. Corpora, si qua sunt in bonis defuncti,

3. L. 55, infr. h. t. — 4. L. 75, in pr. infr. eod. — 5. L. 22, § 5, supr. eod. — 6. d. L. 75, § 1. — 7. L. 36, § 3, supr. eod. — 8. L. 51, § 1, infr. eod. Obs. L. 1, § 12, supr. de dote præleg. — 9. Fac. L. 15, § 2; L. 55, supr. h. t. — 10. L. 11, supr. de his que ut indigni. — 11. L. 5, C. h. t. — 12. Vide tamen L. 6, supr. de in litem jurand. — 13. L. 429, supr. h. t.

secundum rei veritatem¹⁴ æstimanda erunt, hoc est, secundum præsens¹⁵ pretium: nec quicquam eorum formali pretio æstimandum esse sciendum est.

63. *Paulus*, lib. 2, ad legem Juliam et Papiam.

Pretia¹⁶ rerum non ex affectu, nec utilitate singulorum, sed communiter funguntur. Nec enim qui filium naturalem possidet, tanto locupletior est, quod eum, si alius possideret, plurimo redempturus fuisset. Sed nec ille, qui filium alienum possidet, tantum habet quanti eum patri vendere potest: nec expectandum est, dum vendat: sed in presentia, non qua filius alicujus, sed qua homo æstimatur. Eadem causa est ejus servi, qui noxa nocuit: nec enim delinquendo quisque pretiosior fit. Sed nec heredem post mortem testatoris institutum servum tanto plus esse, quo plus venire potest, Pedius scribit. Est enim absurdum, ipsum me heredem institutum non esse locupletiorum, antequam adeam; si autem servus heres institutus sit, statim me locupletiorum effectum: cum multis causis accidere possit, ne jussu nostro adeat. Adquirunt nobis certe, cum adierit: esse autem præposterum, ante nos locupletes dici, quam adquisierimus. — § 1. Cujus debitor solvendo non est, tantum habet in bonis, quantum¹⁷ exigere potest. — § 2. Nonnullam tamen pretio varietatem¹⁸ loca, temporaque adferunt: nec enim tantidem Romæ et in Hispania oleum æstimabitur: nec continuis sterilitatibus tantidem, quanti secundis fructibus: dum hic quoque non ex momentis temporum, nec ex ea quæ raro accidit, caritate pretia constituuntur.

64. *Ulpianus*, [lib. 15, ad legem Juliam et Papiam].

Si in testamento ita scriptum sit, *Heres meus Lucio Titio decem dare damnas esto: et quanto quidem minus per legem Falcidiam capere poterit, tanto amplius ei dare damnas esto*: sententiæ testatoris standum est.

65. *Paulus*, [lib. 6, ad legem Juliam et Papiam].

Si fundus legatus sit quinquaginta dignus, sub hac conditione, si *quinquaginta heredi dedisset*: plerique putant, utile esse legatum: quia conditionis implendæ causa datur; nam constat, etiam Falcidiam eum pati posse. Sed si quinquaginta aurei legati sint, *si quinquaginta dedisset*: dicendum, inutile¹⁹ esse legatum et magis ridiculum esse.

66. *Ulpianus*, [lib. 18, ad legem Juliam et Papiam].

Circa legem Falcidiam, in eo, quod sub conditione, vel in diem alicui relictum est, hoc observandum est: si decem sub conditione alicui fuerint relicta, eaque conditio post decennium forte existiterit: non videtur decem huic legata, sed minus decem; quia intervallum temporis, et interurium²⁰ hujus spatii, minorem facit quantitatem decem. — § 1. Sicuti legata non debentur, nisi deducto ere alieno aliquid supersit: nec mortis causa donationes debebuntur, sed infirmantur²¹ per æs alienum. Quare, si immodicum æs alienum interveniat, ex re mortis causa sibi donata nihil alicui consequitur.

67. *Terenius Clemens*, lib. 4, ad legem Juliam et Papiam.

Quotiens cuidam amplius legatum sit, quam ei capere liceret, et lex Falcidia locum haberet: prius Falcidiæ ratio habenda est, scilicet, ut subducto eo, quod lex Falcidia exceperit, reliquum, si non excedat statutam lege portionem, debeatur.

68. *Æmilius Macer*, lib. 2, ad legem vicesimam Hereditarium.

Computationi in alimentis faciendæ hanc formam esse Ulpianus scribit, ut a *prima etate* usque ad annum vicesimum quantitas alimentorum triginta annorum computetur, ejusque quantitatis Falcidia præstetur: *ab annis vero viginti* usque ad annum vicesimum quintum, annorum viginti octo: *ab annis vigintiquinque* usque ad annos triginta, annorum vigintiquinque: *ab annis triginta* usque ad annos trigintiquinque, annorum vigintiduo: *ab annis trigintiquinque* usque ad annos quadraginta, annorum viginti: *ab annis quadraginta* usque ad annos quinquaginta, [tot] annorum computatio fit, quot etati ejus ad annum sexagesimum deerit, remisso uno anno: *ab anno vero quinquagesimo* usque ad annum quinquagesimum quintum, annorum novem: *ab annis quinquagintaquinque* usque ad annum sexagesimum, annorum septem: *ab annis sexaginta*, cujuscunque etatis sit, annorum quinque: eoque non jure uti Ulpianus ait, et circa computationem usufructus faciendam. Solitum est tamen a *prima etate* usque ad annum trigiesimum computationem annorum triginta fieri: *ab annis vero triginta*, tot annorum computationem inire, quot ad annum sexagesimum deesse videtur; nunquam

14. d. L. 42, L. 55, in pr. supr. ad leg. Aquil. — 15. L. 3, § 5, infr. de jure fisci. — 16. d. L. 55, in pr. — 17. L. 85, infr. h. t. — 18. L. 3, supr. de eo quod certo loco. — 19. Immo vide L. 84, in pr. supr. de legat. 1. — 20. L. 58, § 5, infr. ad SC. Trebell. — 21. L. 17, in fin. infr. de mort. caus. donat.

ergo amplius²² quam triginta annorum computatio initur. Sic denique, et si reipublice usufructus legatur, sive simpliciter, sive ad ludos, triginta annorum²³ computatio fit. — § 1. Si quis ex heredibus rem propriam esse contendat, deinde hereditariam esse convincatur: quidam putant, ejus quoque Falcidiam non posse retineri: quia nihil intersit, subtraxerit²⁴, an hereditariam esse negaverit; quod Ulpianus recte improbat.

69. *Pomponius*, lib. 8, ad Sabinum.

Usufructu honorum legato, æs alienum ex omnibus rebus deducendum est: quoniam post senatusconsultum²⁵ nulla res est, quæ non cadit in usufructus legatum.

70. *Ulpianus*, lib. 16, ad Sabinum.

Falcidia stipulatio statim committitur, ubi conditio legati vel debiti existit.

71. *Paulus*, lib. 59, ad Edictum.

Potest heres in vendenda hereditate cavere, ut, et lege Falcidia interveniente, *solida legata præstentur*: quia ea lex heredis causa lata est: nec fraus ei fit²⁶, si jus suum deminuat heres.

72. *Gaius*, lib. 3, de Legatis, ad Edictum prætoris.

Quantitas patrimonii, deducto etiam eo quiddid explicandarum²⁷ venditionum causa impenditur, æstimatur.

73. *Idem*, lib. 18, ad Edictum provinciale.

In quantitate patrimonii exquirenda visum est, mortis²⁸ tempus spectari. Quæ de causa si quis centum in bonis habuerit, tota ea legaverit: nihil legatarius prodest, si ante aditam hereditatem per servos hereditarios, aut ex partu ancillarum hereditarium, aut ex factu pecorum tantum accesserit²⁹ hereditati, ut centum legatorum nomine erogatis habiturus sit heres quartam partem: sed necesse est, ut nihilominus quarta pars legatis detrahatur. Et ex diverso, si ex centum septuagintaquinque legaverit, et ante aditam hereditatem in tantum decreverint bona [incendii forte, aut naufragii, aut morte servorum], ut non plus quam septuagintaquinque, vel etiam minus relinquatur: solida legata debentur; nec ea res damnosa est heredi, cui liberum est non adire hereditatem: quæ res efficit, ut necesse sit legatariis, ne destituito testamento nihil consequantur, cum herede in portionem legatorum pacisci. — § 1. Magna dubitatio fuit de his³⁰, quorum conditio mortis tempore pendet, id est: an quod sub conditione debetur, in stipulatoris bonis adnumeretur, et promissoris bonis detrahatur? Sed hoc jure utimur³¹, ut quanti ea spes obligationis venire possit, tantum stipulatoris quidem bonis accedere videatur: promissoris vero decedere; aut cautionibus res explicari potest, ut duorum alterum fiat: aut ita ratio habeatur, tanquam pure debeatur; aut ita tanquam nihil debeatur. Deinde heredes et legatarii inter se caveant, ut, existente conditione, aut heres reddat, quanto minus solverit: aut legatarii restituant, quanto plus consecuti sint. — § 2. Sed etsi legata quadam pure, quadam sub conditione relicta efficiant, ut, existente conditione, lex Falcidia locum habeat: pure legata cum cautione³² redduntur: quo casu magis in usu est, solvi quidem pure legata, perinde ac si nulla alia sub conditione legata fuissent; cavere autem legatarios debere, ex eventu conditionis, quod amplius accepissent, reddito iri. — § 3. Cujus generis cautio necessaria videtur, et si quibusdam servis eodem testamento sub conditione libertas data sit, quorum pretia, conditione existente, bonis detrahantur. — § 4. In diem³³ relicta legata alterius esse juris, palam est: cum ea omni modo tam ipsi legatario, quam heredibus ejus deberi, certum est; sed tanto minus erogari ex bonis intelligendum est, quantum³⁴ interea, donec dies obtingit, heres lucraturus est ex fructibus vel usuris. — § 5. Ergo optimum quidem est, statim ab initio ita testatorem distribuere legata, ne ultra doctantem relinquatur; quod si excesserit quis doctantem, pro rata portione, per legem, ipso jure minuantur: verbi gratia, si is³⁵, qui quadringenta in bonis habuit, tota ea quadringenta erogaverit, quarta³⁶ pars legatariis detrahatur: si trecenta quinquaginta legaverit, octava: quod si quingenta legaverit habens quadringenta, initio quinta, deinde quarta pars detrahi debet; ante enim detrahendum est, quod extra bonorum quantitatem est: deinde quod ex bonis apud heredem remanere oportet.

22. Immo vide L. 8, § 10, in fin. supr. de transact. — 23. Immo vide L. 56, in fin. supr. de usufr. — L. 8, supr. de usu et usufr. legat. — 24. L. 24, in pr. supr. h. t. — L. 6, supr. de his que ut indigni. — 25. L. 1, supr. de usufr. car. rer. — 26. Arg. L. 29, circa fin. C. de pacti. — 27. Adde L. ult. § 9, C. de jure delib. — 28. L. 50, pr. L. 56, pr. supr. h. t. — 29. Inst. h. t. vide L. 53, infr. eod. — 29. d. L. 50, in pr. — 30. L. 56, § 1, in fin. supr. eod. — 31. Immo vide L. 44, § 1, infr. eod. — 32. L. 1, § 7, infr. tit. prox. — 33. d. L. 45, in pr. — L. 3, § 5, infr. tit. prox. — 34. L. 58, § 5, infr. ad SC. Trebell. — 35. § ult. Inst. h. t. — 36. L. 1, in pr.

74. *Idem*, lib. 3, de Legatis, ad Edictum prætoris.

Quod autem dicitur, *si ex judicio defuncti quartam habeat heres, solida præstanda esse legata*, ita accipere debemus, si hereditario jure habeat: itaque quod³⁷ quis legatorum nomine a coherede accepit, in quadrantem ei non imputatur.

75. *Ex lib. 40 Digestorum Juliani, Marcellus*.

Sed si ideo legatum ei datum est, ut *integra legata, vel fideicommissum præstet*: deneganda erit actio legati, si lege Falcidia uti mallet.

76. *Gaius*, lib. 3, de Legatis, ad Edictum prætoris.

Id autem, quod conditionis³⁸ implendæ causa vel a coherede, vel a legatario, vel a statulibero datur, in Falcidia non imputatur: quia mortis causa capitur. Sane si a³⁹ statulibero peculiariæ nommos accipiat, pro sua parte quadranti eos imputare debet: quia pro ea parte non mortis causa capere, sed hereditario jure eos habere intelligitur. — § 1. Quæ ratione placuit legata, quæ legatarii non capiunt, cum apud heredem subderint, hereditario jure apud eos remanere intelligi, et ideo quadranti⁴⁰ imputanda: nec quicquam interesse, utrum statim ab initio legatum non sit, an, quod legatum est, remanserit.

77. *Idem*, lib. 18, ad Edictum provinciale.

In singulis⁴¹ heredibus rationem legis Falcidiæ componendam esse non dubitatur; et ideo si Titio et Scio heredibus institutis semis hereditatis Titii exhaustus est, Scio autem quadrans totorum bonorum relictus sit: competit Titio beneficium legis Falcidiæ.

78. *Idem*, [lib. 3, de Legatis, ad Edictum prætoris urbani].

Quod si alterutro eorum deficiente, alter heres solus extiterit, utrum perinde ratio legis Falcidiæ habenda sit, ac si statim ab initio is solus heres institutus esset, an singularum portionum separatim cause spectande sunt? Et placet, si ejus pars legatis exhausta sit, qui heres extiterit, adjuvari⁴² legatarios per deficientem partem; quia ea non est legatis onerata; quia et legata, quæ apud heredem remanent⁴³, efficiunt, ut cæteris legatariis aut nihil aut minus detrahatur: si vero defecta pars fuerit exhausta, perinde⁴⁴ in ea ponendam rationem legis Falcidiæ, atque si ad eum ipsum pertineret, a quo defecta fuerit.

79. *Idem*, [lib. 18, ad Edictum provinciale].

In duplicibus testamentis, sive de patrimonio quæramus, ea sola substantia spectatur, quam pater, cum⁴⁵ moretur, habuerit; nec ad rem pertinet, si post mortem patris filius vel adquisierit aliquid vel deminuerit: sive de legatis quæramus, tam ea⁴⁶ quæ in primis, quam ea, quæ in secundis tabulis relicta sunt, in unum contribuantur: tanquam si et ea quæ a filii herede reliquisset testator, a suo herede sub alia conditione legasset.

80. *Idem*, [lib. 3, de Legatis, ad Edictum prætoris].

Si is, qui quadringenta in patrimonio habebit, filio⁴⁷ impubere herede instituto, ducenta legaverit, eique Titium et Sejum heredes substituerit, et a Titio centum legaverit: videamus, quid juris sit, si nondum solutis legatis pupillus decesserit, et ob id ea legata utrique debent? Solus heres Titius utetur lege Falcidiæ; cum enim ducenta ex hereditate pupilli ad eum pertineant: ducenta legatorum nomine debet, centum ex ducentis, quæ pupillus debebat; et centum, quæ ipse dare jussus est; itaque ex utraque quantitate quarta deducta habeat quinquaginta. In persona vero Seii lex Falcidia non intervenit, cum ad eum ex hereditate pupilli ducenta pertineant, et debeat legatorum nomine centum ex ducentis, quæ a pupillo relicta sunt. Quod si pupillus solvat legata, debent curare⁴⁸ tutores pupilli, ut caveant legatariis. — § 1. Quadam legata divisionem non recipiunt: ut ecce legatum viae, itineris, actusve; ad nullum enim ea res pro parte potest pertinere. Sed et si opus municipibus heres facere jussus est, individuum videtur legatum: neque enim ullum balneum, aut [ullum] theatrum, aut stadium fecisse intelligitur, qui ei propriam formam, quæ ex consummatione contingit, non dedit: quorum omnium legatorum nomine, etsi plures heredes sint, singuli in solidum tenentur. Hæc itaque legata, quæ dividuitatem⁴⁹ non recipiunt, tota ad legatarium pertinent. Sed potest heredi hoc remedium succurri, ut, æstimatione⁵⁰ facta legati, denunciât legatario, ut partem⁵¹ æstimationis inferat: si non inferat, utatur adversus eum exceptione doli mali.

supr. in pr. Inst. eod. — 37. L. 23, in pr. supr. eod. — 38. L. 40, § 1; L. 44, supr. l. 91, circa fin. infr. eod. — 39. L. 36, infr. de mort. caus. donat. — 40. L. 50, supr. h. t. — 41. § 1, Inst. eod. — 42. L. 1, § 13, supr. eod. — 43. L. 50, supr. eod. — 44. L. 21, in fin. supr. eod. — 45. L. 75, in pr. supr. eod. — 46. L. 11, § 5, supr. eod. — 47. d. L. 21, § 6. — 48. L. 24, in fin. infr. eod. — 49. L. 11, § 24, supr. de legat. 3; L. ult. supr. de servit. legat. — 50. L. 16, in fin. supr. h. t.; L. 5, § 1, infr. de doli mali et met. excepti. — L. 76, in pr. supr. de legat. 3; L. 7, supr. h. t.

81. Idem, [lib. 48, ad Edictum provinciale].

Sed usufructus legatus venit in computationem legis Falcidiae: nam divisionem recipit; adeo ut, si duobus legatus fuerit, ipso jure ad singulos partes pertineant. — § 1. Dos relegata, extra rationem legis Falcidiae est, scilicet quia suam rem mulier recipere videtur. — § 2. Sed et de his quoque rebus, quae mulieria causa emptae, paratae essent, ut haec quoque extra modum legis essent, nominatim ipsa Falcidia lege expressum est.

82. ULPIANUS, [lib. 8 Disputationum].

Quaerebatur, cum is, qui solum in nomine quadringenta in bonis habebat, ipsi debitori liberationem, Seio autem quadringenta legaverit: si debitor vel solvendo non sit, vel centum facere possit; quantum quisque habeat interventu legis Falcidiae? Dicebam, legem Falcidiam ex eo, quod refici ex hereditate potest, quartam heredi tribuere; residuum dodrantem inter legatarios distribuere. Quare cum nomen minus solvendo est in hereditate: ejus quod exigi potest pro rata fit distributio, residui venditio facienda est: ut id demum in hereditate computetur, quanti nomen distrahi potest. Sed cum debitori liberatio relinquatur, ipse sibi solvendo videtur; et, quod ad se attinet, dives est: quippe si ei mortis causa accepto feratur id, quod debet, quadringenta cepisse videbitur, licet nihil facere possit: sensisse enim liberationem plenam videtur, quamvis nihil facere possit, si soli ei liberatio relicta est; et ideo Falcidia interveniente, trecenta accepto illi ferri debent, residua centum durabant in obligationem: et si quidem facere posse coeperit, exigentur ab eo duntaxat usque ad centum. Idemque erit dicendum, et si mortis causa accepto ei quadringenta ferantur. Unde eleganter dicitur, acceptationem in pendenti fore: ut si quidem mortis tempore quadringenta tota inveniantur, in trecenta valeat acceptatio: si vero praeterea aliquid inveniantur, quod quadrantum suppleat, heredi in quadringenta acceptatio proficiet. Quod si debitor iste quadringentorum, duntaxat centum facere potest: quia sibi solvendo est, necesse habebit centum refundere. Cum igitur debitor sibi solvendo sit, eveniet, ut si, herede aliquo instituto, ipsi debitori liberatio, et alii quadringenta legata sint: si quidem solvendo sit debitor, centum quinquaginta ex trecentis retineat, alia centum quinquaginta legatario praestentur, heres centum habeat. Sin vero centum tantum facere possit, heredi ex refectione quarta servanda est: sic fiet, ut centum quae praestari possunt, in quatuor partes dividantur: tres partes ferant legatarii; heres vigintiquinque habeat; debitor, qui solvendo non est, secum centum quinquaginta compenset: de residuis centum quinquaginta, quae exigi non possunt, venditio fiet nominis: idque quasi solum in bonis fuerit, representatur. Quod si nihil facere debitor potest, aequè in centum quinquaginta accepto liberandus est: de residuo venditionem nominis faciendam Neratius ait: quod et nos probamus.

83. JULIANUS, lib. 12 Digestorum.

Si creditor filii tui heredem te instituerit, et legis Falcidiae rationem ponas: peculii quantitas, quod adita hereditatis tempore fuisset, in quadrantum tibi imputabitur.

84. Idem, lib. 13 Digestorum.

Reperitur casus, quo heres agere potest, quamvis testator agere non potuerit: veluti si tutor, cum solveret legata, non interposuerit stipulationem, quanto plus quam per legem Falcidiam capi licuerit, solum fuerit reddi; pupillus quidem eo nomine tutelae non agit: sed heredi ejus hoc quoque nomine tutor obligatus erit.

85. Idem, lib. 18 Digestorum.

Si dos socero data est, et solus filius heres patri extitisset: dotem festim in computatione hereditatis, et Falcidiae rationem in aere alieno deducet: aliter enim videbitur indotatam uxorem habere; quod si filius extraneum coheredem habeat, ipse quidem semper, pro qua parte patri heres erit, dotem in aere alieno deducet: et coheres ejus, antequam dos a filio praecipiat.

86. Idem, [lib. 40 Digestorum].

Titia testamento suo Titium fratrem suum ex parte tertia heredem instituit, fideique ejus commisit, ut hereditatem, retenta quarta parte, Secundae [et] Proculae restituat: eadem fratri quaedam praedia praelegavit. Quaero, an Titius ea, quae praelegata sunt, etiam pro ea parte hereditatis, quam rogatus est restituere, an integra retinere debeat? Res-

52. L. 1, § 2, supr. cod. — 53. L. ult. in fin. supr. de usufr. — 54. L. 57, supr. h. t. — 55. L. 2, § 1, circa fin. supr. de dote praed. — 56. L. 22, § pen. supr. h. t. — 57. L. 63, § 1, supr. cod. — 58. d. l. 22, § pen. — 59. Inno. vide L. 56, in pr.; L. 75, in pr. supr. cod. — 60. Adde L. 51, § 2, supr. de evict. — 61. L. 80, in fin. pr. supr. h. t.; L. 1, § 2, infr. tit. prox.; L. 11, infr. de reb.

pondi, Titium legata integra retinere debere: sed in partem quartam imputari oportere duodecimam partem praediorum; sed si non esset adjectum, ut pars quarta deduceretur: totum trientem praediorum legi Falcidiae imputari oportere, quoniam contra sententiam matris familiae lex Falcidia induceretur.

87. Idem, lib. 61 Digestorum.

Qui fundum solum in bonis centum relinquebat, si heredem suum damnaverit, ut eum quinquaginta Titio venderet: non est existimandus amplius quam quinquaginta legasse: ideoque lex Falcidia locum non habet. — § 1. Item si is, qui duos fundos in bonis centum haberet, si me et Titium heredes instituisset et damnasset me, ut Titio fundum Cornelianum quinquaginta venderem, et contra Titium damnasset, ut mihi fundum Seianum quinquaginta venderet: non animadverto, quemadmodum lex Falcidia locum habere possit: cum uterque heredum unius fundi partem dimidiam hereditario jure habiturus sit, in qua pars dimidia hereditatis est; nam certe, qui damnatus est fundum Cornelianum vendere, Seiani fundi partem hereditario jure habet: item qui damnatus est Seianum fundum vendere, partem Cornelianum fundi hereditario jure retinet. — § 2. Si quis heredem instituerit eum, cui rogatus fuerat post mortem suam centum restituere, in ratione legis Falcidiae centum deducere debet: quia si alius quilibet heres extitisset, haec centum in aere alieno ponerentur.

§ 3. Si tu ex parte quarta, Titius ex parte quarta heredes scripti fueritis, deinde tu ex parte dimidia heres institutus fueris sub conditione, et legata, item libertates datae fuerint: pendente conditione, libertates competent, legata tota praestabuntur: quia sive conditio extiterit, te herede existente, utraque valent; sive conditio defecerit, tu et Titius heredes eritis. Lege Falcidia si hoc quaris, an existente conditione miscetur quadrans tuus et semis, atque ita pro dodrante ratio ponenda est cum his, quibus a te pure herede legatum est? Respondebimus misceri duas partes. — § 4. Qui filium suum impuberem et Titium aequis partibus heredes instituerat, a filio totum semissem legaverat, a Titio nihil: et Titium filio substituerat. Quaesitum est, cum Titius ex institutione adisset, et impubere filio mortuo, ex substitutione heres extitisset, quantum legatorum nomine praestare deberet? et placuit, solida legata eum praestare debere: nam confusi duo semisses efficerent, ut circa legem Falcidiam totius assis ratio haberetur, et solida legata praestarentur. Sed hoc ita verum est, si filius, antequam patri heres existeret, decessisset. Si vero patri heres fuit, non ampliora legata debet substitutas, quam quibus pupillus obligatus fuerat: quia non suo nomine obligatur, sed defuncti pupilli, qui nihil amplius, quam semisses dodrantem praestare necesse habuit.

§ 5. Quod si extranei heredi semis totus legatus fuerit, isque pupillo, a quo nihil legatum erat, ex substitutione heres extiterit: poterit dici, augeri legata, et perinde agendum, ac si cuilibet coheredi substitutas fuisset, eoque omittente hereditatem, ex asse heres extitisset: quia semper substitutus rationem legis Falcidiae ex quantitate bonorum, qua pater reliquerit, ponet. — § 6. Eadem dicenda sunt, et si pater duos impuberes heredes instituerit, et eosdem invicem substituerit: deinde jure substitutionis ad alterum hereditas reciderit, et legis Falcidiae ratio habenda sit. — § 7. Qui filios impuberes duos habebat, alterum heredem instituit, alterum exheredavit: deinde exheredatum instituit substituit, ac postea exheredato Mevium, et ab eo legavit: et exheredatus fratri impuberi extitit heres: deinde impubes decessit: cum iudicio patris facultates paternae per causam hereditariam ex substitutione ad eum perveniant, potest dici, legata ab eo relicta praestanda esse, habita ratione legis Falcidiae in his bonis, quae pater mortis tempore reliquerit. Nec huic contrarium est, quod, cum exheredato pater legatum dederit, nihilo magis substitutus legatus obligabitur: quia eo casu non hereditatis paternae portio, sed legatum ad eum pervenit. Dicit aliquis: quid ergo, si exheredatus filius non ex substitutione fratri suo heres extiterit: sed aut lege, aut per interpositam personam, atque ita impubes decesserit? sic quoque existimandus erit substitutus legata debere? Minime: nam quantum interit, exheredatus filius ex substitutione fratri suo heres existat, an alio modo, vel ex eo appareat, quod alias ab eo legare poterat, alias non poterat: est igitur rationi congruens, ne plus juris circa personam substituti testator habeat, quam habuerat in eo, cui eum substituebat. — § 8. Coheres pupillo datus si pro parte sua legata, habita legis Falcidiae ratione, praestiterit, deinde, impubere mortuo, ex substitutione heres extiterit, et semis pupilli legatis exhaustus esset, ex integro, auct. iudic. possid. — 62. L. 20, § 2, supr. faml. eris. — 63. L. 19, supr. h. t. — 64. Inno. vide L. 91, in fin. infr. cod. — 65. L. 6, in pr. C. cod. — 66. L. 59, § 5, supr. de hered. instit. — 67. L. 1, § 2, supr. h. t. — 68. L. 79, supr. cod.

legis Falcidiae ratio ponenda erit: ut contributis legatis, quae ab ipso, et quae a pupillo data fuerant, pars quarta bonorum apud eum remaneat; licet enim pupillo heres existat, tamen circa legem Falcidiam perinde ratio habetur, ac si patri heres extitisset. Nec aliter augebuntur legata, quae ab ipso ultra dodrantem data fuerant, quam augeantur, cum ex parte heres institutus, et coheredi suo substitutus, deliberante coherede, legata, habita ratione legis Falcidiae, solvi, deinde ex substitutione alteram quoque partem hereditatis acquirat.

88. AFRICANUS, [lib. 5 Quaestionum].

Qui quadringenta habebat, trecenta legavit: deinde fundum tibi dignum centum aureis sub hac conditione legavit, si legi Falcidiae in testamento suo locus non esset. Quaritur, quid juris est? Dixi τὸν ἀπόρον, id est, ex perplexis, hanc quaestionem esse, qui tractatus apud dialecticos τὸ ψευδομένον, id est, frustratorii, cavillatoriique, dicitur. Etenim quidquid constituerimus verum esse, falsum reperietur: namque si legatum tibi datum valere dicamus, legi Falcidiae locus erit: ideoque, deficiente conditione, non debetur; rursus si, quia conditio deficiat, legatum valitum non sit: legi Falcidiae locus non erit; porro, si legi locus non sit, existente conditione, legatum tibi debetur; cum autem voluntatem testatoris eam fuisse appareat, ut, propter tuum legatum, ceterorum legata minui nollet: magis est, ut statuere debeamus tui legati conditionem defecisse. — § 1. Quid ergo dicemus, si ducenta legavit, et tibi similiter sub eadem conditione ducenta legata esse proponatur; nam, aut extitisse aut defecisse legati tui conditionem, ut aut totum, aut nihil tibi debeat, et iniquum, et contra voluntatem testatoris existimabitur: rursus partem deberi, rationi non congruit, quando necesse est, totius legati conditionem vel extitisse, vel defecisse. Ergo per exceptionem doli mali tota ea res temperanda erit. — § 2. Quare cum quis tale quid consequi velit, sic consequatur: Si quo amplius legavi, vel legavero, quam per legem Falcidiam licebit, tum quantum ad suppleendum quadrantum deduci oportet, ex eo legato, quod Titio dedi, heres meus damnus esto dare. — § 3. Qui ducenta in bonis relinquebat, legavit mihi centum praesenti die: tibi aequè centum sub conditione: post aliquantum temporis extitit conditio; ita tamen, ut ex reitu ejus summae, quae tibi relicta est, non amplius, quam vigintiquinque reciperet. Legis Falcidiae ratio ita habenda erit heredi, ut vigintiquinque conferre ei debeamus, et amplius fructus quinquaginta medii temporis, qui (verbi gratia) efficiunt quinquae. Cum igitur triginta sint conferenda, quidam putant, quia dena ab utroque nostrum conferenda esse: quod minime verum est. Licet enim eandem quantitatem acceperimus, manifestum tamen est, aliquanto uberius esse meum legatum. Quare statuendum erit, tanto minus in tuo legato esse, quantum ex fructibus ejus heres perciperit. Secundum quod in proposita specie computationem ita iniri oportet, ut ex septem partibus ego quatuor, tu tres conferamus: quoniam quidem quarta pars amplius in meo quam in tuo legato est.

89. MARCIANUS, [lib. 7 Institutionum].

Divi Severus et Antoninus rescripserunt, pecuniam relictam ad alimenta puerorum, Falcidiae subjectam esse, et, ut idoneis nominibus collocetur pecunia, ad curam suam revocaturum praesidem provinciae. — § 1. Divi Severus et Antoninus generaliter rescripserunt Bononio Maximo, usuras praestaturum eum, qui frustrationis causa beneficium legis Falcidiae imploravit.

90. FLORENTINUS, lib. 11 Institutionum.

Si heres, cujus fideicommissum est, ut accepta certa pecunia hereditatem restituit, a voluntate ejus, qui testamentum fecit, discedat, et postea legis Falcidiae beneficio uti velit: et si non detur ei, quo accepto hereditatem restituere rogatus est, tamen fideicommissum restituere cogi debet: quoniam quod ei paterfamilias dari voluit, legis Falcidiae commodum praestat.

91. MARCIANUS, lib. 15 Institutionum.

In quartam hereditatis, quam per legem Falcidiam heres habere debet, imputantur res, quas jure hereditario capit, non quas jure legati vel fideicommissi, vel pendente conditionis causa accipit: nam haec in quartam non imputantur. Sed in fideicommissaria hereditate restituenda, sive legatum vel fideicommissum datum sit heredi, sive praecipere, vel deducere, vel retinere jussus est: in quartam id ei imputatur; pro ea vero parte quam accepit a coherede, extra quartam, id est, quod a co-

69. L. 58, § 2, infr. ad SC. Trebell. — 70. Inno. vide N. 151, c. 12, auth. similiter. C. ad leg. Falcid. — 71. L. pen. supr. de usur.; L. 2, C. de usur. et fructib. legat. — 72. L. 22, in pr. supr. h. t. — 73. L. 76, in pr. supr. cod. — 74. L. 17, supr.; L. ult. infr. cod. — 75. L. 40, in pr. supr. cod.; L. 5, C. de testam. milit. — 76. Vide tamen L. 2, C. de donat. caus.

herede accipitur. Sed etsi accepta pecunia hereditatem restituere rogatus sit, id, quod accipit, in quartam ei imputatur, ut D. Pius constituit. Sed et quod implenda conditionis causa fideicommissum heredi datur: in eadem causa esse admittendum, sciendum est; si quid vero implenda conditionis causa heres accipiat a legatariis, in Falcidiae computationem non prodesse; et ideo si centum praedium legaverit defunctus, si quinquaginta heredi legatarius dederit: centum legatis computationem fieri, et quinquaginta extra hereditatem haberi, ne in quartam ei imputentur.

92. MACER, lib. 2, de Re militari.

Si miles testamento facto, partem dimidiam hereditatis suae tibi restitui jusserit, deinde post missionem factis codicillis, alteram partem Titio restitui rogaverit: si quidem post annum missionis suae decesserit; et tibi et Titio heres partem quartam retinebit, quia eo tempore testator decessit, quo testamentum ejus ad beneficium principale pertinere desiderat: si vero intra annum missionis decesserit; solus Titius deductionem partis quartae patietur, quia eo tempore fideicommissum ei relictum est, quo testator jure militari testari non potuit.

93. PAPIANUS, lib. 20 Quaestionum.

Acceptis a Maevio centum, hereditatem Maevio restituere, pecuniamque post mortem suam Titio dare rogatus est: quamquam haec centum quartam bonorum efficiant, tamen, propter fideicommissum sequens, quartae retentioni locus erit; tunc enim ex constitutione D. Hadriani Falcidiae satisfacit ea quantitas, cum apud heredem remanet; sed Falcidiam patietur solus, cui hereditas relicta est: nam in centum, quae mortis causa capiuntur, admitti Falcidia non potest. Plane, si quis ita scripsit, acceptis centum peto restitui hereditatem, neque personam dantis demonstraverit: quasi retentam, et praecipiam pecuniam, si quarta sufficiat, inducere Trebellianum.

94. SCAEVOLA, lib. 21 Digestorum.

Filio et filia scriptis heredibus, singulis certa praegavit: sed longo minus filiae, cui etiam domum obligatam praegavit cum instrumentis, et quidquid ibi fuerit, et adjecit haec verba: sed ea conditione lego, ut, quidquid aeri alieni in ea domo erit, Titius libertus filii mei exsolvat: et si eis utrisque domus communis. Quaesitum est, si filia legis Falcidiae beneficio uti velit ad quartam retinendam: an ex hereditate, quae ei relicta est, deducto aere alieno, ejus, quod superfuert, quartam consequi debeat? Respondit, jure quidem id postularum: verum non alias ea, quae ei data sunt, accepturam, si modo ea quartam suppleant, quam voluntati defuncti solvendum praestando pareret.

95. Idem, lib. 21 Digestorum.

Maritus uxoris res extra dotem constitutas administravit: eaque decedens ante rationem sibi redditam administrationis, ex asse eundem maritum heredem reliquit: ejusque fidei commisit, ut decem uncias filio communi, cum moreretur, restitueret, duas autem uncias nepoti. Quaesitum est, an id quoque, quod ex administratione rerum apud maritum reddidisset conlisterit, cum ceteris [bonis] pro rata decem unciarum filio restitui debeat? Respondit, id quod debuisse hereditati, in rationem venire debere. — § 1. Filiae, quam mater rogaverat, si impubes decessisset, restituere hereditatem Titio, patruus legitimus heres extitit: in ratione legis Falcidiae ponenda desiderat deduci sortes, ex quarum usuris alimenta impubes defuncta ex persona testatrix suae pluribus debita praestitit. Quaesitum est, an si eas deduxerit, cavere debeat, defunctorum alimentarium portiones pro modo sortium se restitutorum? Respondit, debere cavere. — § 2. Post aditam hereditatem triennio exacto, legatarius heres legem Falcidiam opponit idcirco, quod administravit tutelae testator, quarum ratio nondum reddita sit: et quod neget tantum redigi ex nominibus posse, quantum in cautione deductum est. Quaesitum est, an rationes defuncti, et omnium instrumentorum hereditarium, et pupillarium rationum, legatariis desiderantibus, heres describendi potestatem facere debeat: ne in potestate ejus sit proferre quod velit, et per hoc in fraudem legatarii inducantur? Respondit ad iudicis officium pertinere, explorare ea, per quae probetur, quanti sit in bonis.

96. Idem, lib. singul. Quaestionum publicae tractatarum.

Miles si, dum paganus erat, fecerit testamentum, militia tempore codicillos: lex Falcidia in codicillis locum non habet, in testamento locum habebit.

mort. — 77. L. 8, C. de pact. convent. tam super dot. — 78. L. 1, § 18, supr. h. t.; L. 9, § ult. supr. de iure dot. — 79. L. 3, vers. debet autem is, qui accipit. supr. de aliment. — 80. L. 17, supr. h. t.